



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exemplorum Libri Tres

Liber Secundus, Siue Exempla, In Septem Capitalium Vitiarum
Detestationem, Per Quadragesimam, Anno M. DC. XLVI. narrata

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

§. 1. Inuidi & auari apologus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48186](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48186)

Sentiens, homines esse proniores ad voluptatem, quàm ad virtutem, per Gallos enim intellexit sacerdotes Cybeles, euiratos. Paruum autem est inter euiratos & effeminatos discrimen: immo detestabilius est animo, quàm corpore emasculari. Quod qui non vult sibi fieri, feminas vitet, & cum feminis *mulierum exitia*, vt in prouerbio est, vitabit, quæ omnium ferè calamitatum authores viris fuisse dicuntur. Testis est Pandora Hesiodia; testis Helena & bellum Troianum; testis Medea; testis Ariadna; testis Hercules, à Deianira extinctus; testis Danaidum fabula; testis Lemniarum mulierum historia; testis Cleopatra; testis Dina; testis Bethfabea; testes omnes illæ feminae, quæ cor sapientissimi Salomonis deprauarunt; testis Dalila quæ Samsonem fortissimam ligauit; testis ipsa omnium mater Eua. Quanquam hæc ipsa etiam conuenit stultitiæ virorum ascribere, qui mulierculis tantùm indulserunt, vt velut amentes amore in quoduis malum sequerentur, cum par fuerit, vt illis moderantibus mulier natura stultior simul & imbecillior minùs desiperet. Quod enim animus est corpori, id virum mulieri oportet esse: qui si mulierosus est, improbus est, quia *occasione duntaxat opus est improbitati.*

CAPVT IV.

INVIDIÆ ET ÆMVLATIONIS CRIMEN
 QVOVSQVE SE EXTENDAT? IN REGIS
 FILIO PARRICIDA DEMONSTRATVR.

PARS PRIMA.

IN fabulis est, Iouem aliquando, eum diuersos vellet hominum sensus explorare, moresque illis suos ostendere, misisse Apollinem in terras, vt voluntates humanas experiendo cognosceret. In terras delatus Apollo primùm incidit in duos vnà stantes, iisdem quidem vtrumque; vitijs affinem, sed in vno *Auaritia*, in altero *Inuidia* magis dominabatur. Hos comiter allocutus Apollo, eorumque morbos è votis & sermonibus tanquam in trutina deprehendens, copiam illis fecit liberè petendi, quod vellent; promissione addita, id quod vterque petiisset, ratum se habiturum, ea tamen conditione ac lege, vt, quod sibi vnus petiisset, alteri duplum

I.
 INVIDI ET
 AVARI APO-
 LOGVS.

plum præſtaretur. Ibi inter vtrumque magna orta eſt contentio, vter petitionem faceret. Nolebat petere *Inuidus*, ne alter plus obtineret; nolebat *Auarus*, vt ipſi duplum obtingeret. diu ea lis tenuit; diu contentioſum inter ſeſe fumen traxerunt. Denique pertinacior fuit *Auarus*, malitioſior *Inuidus*: nam quia nullo pacto induci potuit *Auarus*, quidquam ſibi vt peteret ne minus peteret; *Inuidus*, ne alteri plus concederet, vnum erui ſibi radicitus oculum petijt, vt auarus ambos amitteret. Ita & ipſe malum ſibi creauit, & alterum damno multauit geminato.

II.
HISTORIAR
AUTHOR.

Ne quis hanc fabulam, ſupra verum, confictam eſſe exiſtimet, hodie hiftoriam dabo longè truculentiorẽ. Et hiftoriam de mirabilioribus vnam, ſatiſque teſtatam. Auctor enim illius eſt oculatus teſtis Ludouicus Romanus in libro Hodæporico de Perſia cap. 2. & 3. qui iter ſuum inijt An. Chriſti 1503. vt ipſe indicat, lib. 1. de Arabia c. 1. in patriam redijt An 1509. vt videre eſt in lib. 3. c. 42. & 44. Ob res in India bene geſtas, equeſtri eſt dignitate ornatus. vt ſcribit lib. 3. de India. c. 41. Editus eſt autem liber iſte Hodæporicus Auguſtæ An. M. D. XVIII. Hic igitur Author, lib. de Perſia cap. 2. deſcribit inſignem eius regionis ciuitatem *Ormus* dictam, quæ magnitudine ambitus, multitudine populi, opum affluentia, pretioſa illa margaritarum piſcatione nobiliſſima eſt; in portu eius ſemper trecentæ & ampliùs variorum mercatorum naues reperiuntur, quæ illuc è varijs regnis appellunt. Soldanus autem huius vrbs & inſulæ eſt Machometanus.

VII.
SOLDANI FE-
LICITAS, ET
INFELICITAS
A FILIIS.

Postquam locum deſcripſit Ludouicus iſte Romanus, cap. 3. teſtatur, talem, ſe inibi locorum verſante, & magnam partem ſpectante, tragædiam incidiffe. Soldanus multis titulis felix, valetudine admodum bona, viribus Hercules, diuitijs Croæſus, delitijs Sardana- palus poterat haberi; veſtitu autem gemmatus pauo. Acceſſit ſuper omnia vxor fœcunda; liberi vndecim, *ſpes tanta neporum*; & erant maſculi omnes. Sed, vt nihil, in terris, omni parte beatum eſt, ita filius natu minimus illi ſpina fuit. Tanta enim videbatur eſſe ſimplicitate, vt ab omnibus paſſim pro fatuo haberetur. Hunc pater non dignabatur aſpicere; hunc mater nouercali odio perſequebatur; hunc fratres vbique ludos faciebant; hunc ipſi vernæ deſpectui habebant. Quanquam ignarus pater, aliunde ſibi impendens multò